



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Iodocvs Conf. 13. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis primò nuntium matri ferens, tum LVCIA mortis optarissimæ & pro Christo subeundæ. Sic igitur moritura LVCIA omnium primò testamentum cogitat, & pauperes non jam scribit, sed facit heredes. Id enimvero non ferendum ratus LVCIA sponsus, queritur apud judicem, & sponsæ dotem sibi clamat deberi; hic denum agnoscit in amoribus non se, sed Christum esse. Mox igitur, amori ira succedit. Dei nupta lenonibus traditur, mancipiis amoris prostituenda. Sed nequeunt mille manus unam virgunculā, nequeunt funes & plura boum juga de loco, minùs de proposito casto dimovere. Ergo larmenta congeruntur, rogos accenditur. Sed lucet pulchrius ignibus suis LVCIA. Gladio trajicitur; sed vivit virgo & viros animat, & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinatur. Denique dum judex in vinculis Romanam abducitur capitis daminandus, divino cibo recreata, cælo fidus, ut dixit, inseritur. Sed & tibi illuc adhuc locus est Mariane. Stella & tu es, si virgo es. Fuisse? Ah! stellam cælo credas decidisse. Ex Surio.

*Deus semper pater est; amavit nos fœdos, ut ex fœdis saceret pulchros. Erimus pulchri eum amando, qui pulcher est. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa charitas anima est pulchritudo.* S. Aug. Tract. 9 in Epist. S. Ioan.

## S. IODOCVS CONF. 13. Decembbris

**N**ovam litem audite Mariani, quam IODOCVS Angliæ regis filius germano fratri de regno movit, non uter hoc eriperet, sed uter cederet alteri. Fugiebant novo more non opes domi-

612 VITÆ S A N C T O R V M . 13 . Decemb.

dominos suos , sed domini opes suas , & quam aliis  
invitis mors aufert coronam , ultrò ab his abjicie-  
batur . Denique rex sibi videbatur , non qui regnum  
coactus adiit germanus , sed IODOCVS , qui regno  
subduxit se , & in Galliam aufugit . Hic ille sibi  
scilicet imperavit , sed & feris non multò pòst , quas  
obsequentes illi cælum voluit esse . Illud perjucun-  
dum accidit , cùm fame placandæ ultimum subsi-  
dium panis unicus in penu fuit , & hunc in IV. par-  
tes à Iodoco sectum CHRISTVS alium identidem  
atque alium pauperem præferens unus omnes  
piissimā fraude asportavit . Negabant id rectè factū  
esse discipuli . Sed rectius illos edocuit magister ,  
cùm pro IV. è pane frustulis , secundo flumine des-  
cendere submissas à cælo totidem naviculas frumé-  
tarias ostendit . Demum sacris operanti manus è  
cælo bene visa est dicere , quæ quodd terrena regna  
despexisset , cælestia promisit . Hæc demum placuere  
Iodoco , potitusque his est anno DCLIII , LX , omni-  
no annos in tumulo integer , virtute in Iodoco fa-  
ciente , quod in viris principibus aliis balsama fa-  
ciunt . Ex Flor . Abb .

*A memus vitam aeternam , & ex eo noverimus ,*  
*quantum pro illâ laborare debeamus , cùm videmus*  
*homines amatores presentis vita sic pro illâ labora-*  
*re , ut , cum venerit metus mortis , quidquid possunt ,*  
*fatiant , non ut auferant , sed ut differant mortem .*  
S. August. serm. 64. de verb. Dom.

SS. NICASIVS EP. & EVTROPIA V. MM.  
13. Decembres.

**Q**uid ni animos etiam tu Lector ad pugnam  
sumis , toties quis sanguinem Martyrum vide ?  
Hic